



ationum  
spec.



Q. D. B. V.

De

52

# THESAVRO IACOBI

*Ier. X. 16. Ll. 19.*

DISSERTATIO EPISTOLICA,

QVA

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, PRAECLARIS-  
SIMO CELEBERRIMOQVE,

DOMINO

**M. IACOBO A MELLE.**

VEN. ORDINIS SACRI LVBECENSIS SENIORI  
GRAVISSIMO ET PASTORI MARIANO LONGE  
MERITISSIMO,

DIMIDIUM SAECVLVM

IN SACRO MINISTERIO

*A. D. X. APRIL. A. MDCLXXXIV. AD D. X. APRIL.  
A. MDCCXXXIV.*

QVAM RARO EXEMPLO, TAM LAVDABILITER,  
EXACTVM

CANDIDA MENTE GRATVLATVR

**IO. HENR. A SEELEN,**

SS. TH. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

---

LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYTOGR.

*ay.*



**Q**uod ante triennium fere, FAVOR HONORATISSIME, cum triste fatum, quo Iugebas Coniugis exoptatissimae obitum, me iuberet calamum arripere, sincere optavi (1), ut semisaeculare officii sanctioris spatium imple- res, imo superares, istud hodie contigisse, adeoque votum meum non vanum, spem non fuisse irritam, tam gratum mihi est, quam quod gratisimum. Salve ergo, THEOLOGE SEMISAECVLARIS, & ministrorum sacrorum, totos quinquaginta annos munere sacro functorum, ordinem, qui non tam copiosus est, quam multi alii, ita ingredi, ut, vita ad summam senectutem perducta, demum ex eodem egrediaris! Demisse Tecum veneror benignissimum Numen, quod Te beavit felicitate, qua pauci modo fruuntur. Cum vero firmiter mihi persuadeam, Te omnia bona, quae isthaec comprehendit, vnice derivare ab eo, qui divina loquendi ratione *THESAURVS IACOBI* vocatur, permittes facile, ut de hoc felicitatis Tuae fonte lacta hac occasione disseram, & sancti Vatis, IEREMIAE (2), verba, in quibus eiusdem facit mentionem, breviter expendam.

Sisto ea ipsa lingua originali, in qua hoc modo sunt consignata:

לא-כאלה חלק יעקב כירוצר הכל הוא וישראל שמו  
 i. e. Non, sicut ista, *Thesaurus Iacobi*:  
 sed creator omnium hic, & Israel sceptrum haereditatis ipsius: Iehovah  
 Zebaoth nomen eius. Describit iisdem Propheta maximum discrimen,  
 quod inter ficta infidelium Numina & verum fidelium Deum reperit-  
 tur. De illis cum prolixè egisset in antecedentibus, perverfos stulto-  
 rum Gentilium, simulacra ex ligno manibus hominum facta colen-  
 tium, mores luculenter delineasset, metum ab illis iniectum esse ima-  
 giparium & nefandas sapere ineptias, ostendisset, tandem sic concludit:  
 הכל המה מעשה תעתעים כעת פקרתם ואברו  
 i. e. Vanitas illa (sunt): opus errorum: in tempore visitationis ipsorum  
 peribunt. Cui vanitati opponit *Thesaurum Iacobi*, non vanum, non fictum,  
 non

(1) Meditatt. Exeget. P. II, p. 645.

(2) Ier. X, 16. Ll. 19.

non imaginarium, sed verum, certum, imo certissimum. Hunc autem verum esse & praepotentem DEVM, invicta argumenta, quae ipsum suppeditat comma nostrum, demonstrant. Verus est DEVS, quia dicitur **יוצר הכל**, *creator omnium*. Opus autem creationis nemini, nisi illi, est adscribendum. Ad eum pertinet creatio prima, qua omnia intra sex dierum (non annorum, vti perperam aliqui statuerunt, reclusissime a B. ZACH. GRAPIO (3) castigati) spatium producta, quae neque ab aeterno fuerunt, siquidem stulta Atheorum de mundi aeternitate opinio dudum impietatis convicta; neque e fortuito atomorum concursu nata, quo concursu nihil asseritur ineptius. Illi quoque vnice attribuenda creatio secunda, qua omnes res conservantur, cui conservationi neque natura, neque homo, etiam ille, qui maxima in mundo gaudet potentia, sufficit. Verus est DEVS, quia *Deus fidelium*. His enim nihil comitii cum fictis Numinibus, quae aversantur, reiciunt, detestantur, meritiique vanitatem agnoscunt; adhaerent autem solum vero Deo, qui est ipsorum thesaurus, eosdemque, tanquam gratissimam haereditatem, accipit, dum haeredes constituit vitae aeternae, bonorumque coelestium. Verus est DEVS, quia diserte appellatur *Iehovah*, quod nomen ipsi soli proprium est, nec vnquam a scriptoribus *hebraeae* personae, aut rei creatae imponitur; & quidem *Iehovah Zebaoth*, sive *Exercituum*, qua loquendi ratione summam quoque eius, immensam & infinitam designari potentiam, notum est.

Hic verus DEVS **אלהים** nuncupatur. Quae vox a LXX Interpretibus *Meis*, in plerisque Versionibus Latinis *Pars*, aut *Portio*, in Germanicis *Theil*, redditur. Ipse summus LVTHERVS alio loco (4) simili ratione expressit, quando verba **אלהי ירוה**, translulit: *Der Herr ist mein Theil*. Sed hic voluit in primis emphasin in eadem latentem significare, dum elegantissime vertit: *Schatz*. Portio enim, aut Pars, potest etiam aliquid denotare, quod parvum est & exiguum. Thesaurus vero, quod magnum, amplum, pretiosum, dives est, complectitur. Sic pretiosissimae res, in domo DEI asservatae, Thesauri nomine saepius insigniuntur (5). Regum divitiae

A 2

vere

(3) Theolog. recens controversi. P. I. p. 20 sqq. (4) Thren. III. 24.  
 (5) 1. Reg. XV. 18. 2. Reg. XII. 18. 1. Par. XXIX. 12, etc.

vere regiae eodem modo appellantur (6). In domo, qua nulla melior ac praestantior, Sapientis amabilem Theaurum esse, SALOMON (7) pronuntiat. Quibus similia in sacro codice plura occurrunt. Omnia, quod praeclarum, ingens, omne superans pretium, indicant. Ipse humanus loquendi modus eo tendit, quo summorum Principum, & aliorum, Gazophylacia nominantur Theauri: Libri magnae molis & rerum magni momenti copia abundantes inscribuntur Theauri: homines divites Thesauros possidere dicuntur. IEREMIAS hic divitias coelestes, cimelia, quae fidelibus a DEO donantur, & gratiam, quae ineffabilis, benevolentiam, quae perpetuo durabit, gaudium, quod infinitum, honorem, qui summus, bona, quae inaeestimabilia, beatitudinem, quae nunquam satis praedicanda, & ut paucis multa, imo cuncta dicam, Θεσαυρὸν ἐν οὐρανῷ (8), thesaurum in coelo, continent, memorat. Quomodo LUTHERVS mentem ipsius potuisset aptius, quam adhibita Theauri voce, explanare? Fecit hoc iterum (9), ubi eadem nostra verba a divino Vate repetuntur.

An vero hic omnium ditissimus Dominus, qui cuncta possidet, opus habet haereditate, quam ei IEREMIAS assignat, dum Israëlem שבט בחלתו, *virgam*, aut *sceptrum haereditatis eius*, appellat? Possit ille utique esse κατ' ἐξοχήν sic dictus ὁ μακάριος (10), *beatus*, qualis fuit ab aeterno, adeoque dudum ante, quam creavit homines, & e creatis illos, qui in fide perseverant, in coelum recepit, etiamsi eos in consortium suum non cooptaret; sed horum tamen in regnum suum introitus tam acceptus ipsi est, quam accepta solet esse haereditas. Idcirco ASAPHVS (11) meminit haereditatis, quam ipse redemit, his DEVM alloquens verbis: זכר עדתך קנות קדם גאלת שבט בחלתך i. e. *Memento coetus tui, (quem) acquisivisti olim, redemisti tribum haereditatis tuae.* Quam haereditatem, in fonte loci nostri Hebraeo discrete expressam, & in Versione & in Paraphrasi commatis Ieremiani IO. CLERICVS (12) per *sceptrum, quod possidet ac habet* Iehovah,

(6) 2. Reg. XVI. 8. 2. Par. XXV. 24.

(7) Prov. XXI. 20.

(8) Matth. XIX. 21. Marc. X. 21. Luc. XVIII. 22.

(9) Ier. LI. 19.

(10) 1. Tim. I. 11. VI. 15.

(11) Psalm. LXXIV. 2.

(12) Commentar. in Prophetas p. 368.

*Iehovah*, exponit, qui recte quidem regiminis, quod Rex Regum in coelo exercet, hic rationem habendam esse inonnet, melius tamen LVTHERVUS, ac posteriori praesertim loco, ubi extant verba: *Die Ruthe seines Erbes*, & regimen & simul haereditatem, aut vitae aeternae haeredes, quibus clementissimus Rex semper aderit DEVS, coniungit.

Sed ad IACOBVM, Thesauro ditatum, progredior, paucis disquisitionibus, num per eundem solus Patriarcha, *santissimus Sacerdos* a LVTHERO (13) dictus, an vero quisvis Fidelis intelligatur? Ille certe tot a DEO summis beneficiis, tot gratiosissimae benevolentiae documentis per omnem vitam fuit condecoratus, vt nemo erret, qui eundem Thesauro maximo fuisse instructum, censet. Hic sane tantus fuit, vt pro ea, quam prae se ferebat, modestia ac humilitate se eodem indignum ipse reputaverit, quod haec ab eo prolata verba, eodem indignum ipse reputaverit, quod haec ab eo prolata verba, quibus liberalissimum Thesauri datorem alloquitur, clarissime docent (14): *עשיתי לך את עבדך ומכלהאמת אשר עשיתי לך* i. e. *Minor sum prae omnibus miserationibus, & prae omni veritate, quam fecisti cum servo tuo.* Neque verbis solum mentem idcirco ostendit gratissimam, verum ipso etiam facto plus vice simplici declaravit. Vnicum huius rei documentum adduxisse, sufficiat. Esto illud monumentum e Lapide, in quo dormiens scalam coelestem in somnio vidit, erectum (15), & in memoriam quidem permagni beneficii, quod ipsi erat praestitum. Qua re neutiquam transgressus est divinum de Lapide non ponendo mandatum (16), siquidem istud de superstitiosis vnice intelligendum, quod non addita modo verba: *להשתחרת עליה*, ad incurvandam vos illi, probant; verum etiam ex ipsis Iudaeis fatetur MAIMONIDES (17), qui citatum praecceptum exponens, lapides tantum fictorum Numinum colendorum causa positos reicit, non simul istos, qui pietatis & religionis ergo statuuntur. Talem autem fuisse eum, e quo vncto IACOBVS crexit monu-

A 3

(13) Comm. in Genes. f. 493. a.

(14) Gen. XXXII. 11.

(15) Gen. XXVIII. 18. 19.

(16) Levit. XXVI. 1.

(17) Lib. de Idololatr. cap. 6. §. 8. p. m. 32 sq. Conf. quae ibi DIONYS. VOSSIVS annotavit.

monumentum, tum nomen loco, in quo hoc contigit, inditum, בית-אל, *Domus DEI*, tum iterata veri Numinis apparitio ibidem facta (18), evincunt. Quae Lapidis vinctio, a IACOBO peracta, tam vehementer placuit non Iudaeis modo, qui recentioribus temporibus ad religiosum eiusdem cultum perperam se abripi passi sunt (19); verum ipsis etiam Gentilibus, quorum *Baetylia*, sive Lapides in honorem Deorum erecti & vincti, (de quibus GERH. IO. VOSSIVS (20), GOTTLOB FRIDERICVS IENICHEN (21), & praesertim IO. CONR. STEPH. HOELLINGIVS (22), erudite commentantur) inde haud dubie originem traxerunt. Horum Lapidum nominatio inventu facilis est, si, quod opinatur VOSSIVS, apud LXX Interpretes fuit lectum Βαιθυλα, quamvis editiones, quas mihi licuit evolvere, & in his etiam accurata Breitingeriana, vocem istam non habeant, verum in iis Οἶκος Θεῶν legatur. Audium nihilo minus nomen Hebraeum *Bethel* potuerunt, more suo, gentes corrumpere, & inde Baetylia exsculpere, cuiusmodi depravationes in profanis scriptis non raro occurrunt. Sed his non immoror, cum demonstrasse mihi satis sit, quod IACOBVS pro donato sibi multorum magnorumque beneficiorum Thesauro & verbis & re gratum se praestiterit, imo gratisimum.

Licet autem hunc solum nominet Propheta, eum tamen solum non innuit, sed vnumquemque Fidelem, qui ad οἶκος ΙΑΚΩΒ (23), *domum IACOBI*, pertinet, i. e. verae Ecclesiae membrum existit, & IACOBI fidem ac pietatem studet imitari. Is enim, aequae ac Patriarcha, fruitur divina gratia, beneficiis a DEO afficitur innumeris, cum eodem fide coniungitur, atque sic ipsum accipit IEHOVAM, summum consequitur bonum, adeoque Thesauro, quo nullus melior, donatur. Firmat hanc expositionem *Israëlis* nomen, quod primum quidem IACOBO impositum (24), at deinceps cum Fidelibus etiam communicatum. Vnde NATHANAEL ab ipso Salvatore vocatur (25) ἀληθῆς ΙΣΡΑΗΛΙΤΗΣ, ἐν ᾧ δόλος ἔκ ἐστῆ, *vere ISRAELITA*, in quo *dolus non est*, quod, recte annotante MATTH. FLACIO (26), *idem est*,

(18) Gen. XXXI, 13.

(19) Vid. IOS. SCALIGERI Annot. ad Euseb. ad A. M. 2150.

(20) Theolog. Gentil. L. VI. c. 39. p. m. 714. T. V. Opp. (21) Diss. de Lapide Iacobi vincto p. 18 sqq. (22) Diss. de Baetyliliis Veterum. Gröning 1715. 8.

(23) Luc. I. 33. (24) Gen. XXXII, 28. (25) Io. I. 47. (26) Clav. Script. S. col. 483.



est, ac si diceret: vere pius, aut Christianus. Iacobeus itaque Theſaurus ille omnino existimandus, quo, praeter IACOBVM, omnes Fideles, omnes genuini Christiani beantur.

Tu, VENERABILIS IACOBE, e fortunata hac societate, quam MELLIANA quoque amplificat felicitas, minime es excludendus, si quidem Tibi etiam *Theſaurus Iacobi* clementissime fuit concessus. Longum foret, cuncta enarrare beneficia, quibus Te DEVS affectit, praeterfertim, cum ea enumerare mihi non liceat, imo nec Tibi ipsi, quod, quin sponte fatearis, non est dubium. Hoc scio tantum, quod fuit magna, multa, imo piura, quam aut calamus meus describere, aut haec charta potest capere. Solum istud, cuius gratam hodiernus dies tibi iure vindicat memoriam, tam excellens est, vt non exigua felicitatis Tuae pars, sed ingens potius Theſaurus mereatur appellari. Quam rari enim sunt, quibus per integrum dimidium saeculum sanctiori officio fungi fuit permittum? Habemus quidem Theologos semisaeculares, opera GOETZIANA, BLVMIANA, alia, collectos & recensitos. Sed perexiguum eorum numerum deprehendimus, si copiosissimam sacrorum ministrorum societatem cum eodem conferamus. Tu tamen, VENERANDE SENEX, hodie coronam illorum memorabili exemplo adauges. Rara sane felicitas, at Te neutiquam indigna! Habet enim in Te Lubeca virum, quem ad ornamenta sua merito potest referre: virum, amplissima rerum tam sacrarum, quam aliarum, scientia conspicuum: virum, non doctissimum modo, sed etiam curiosissimum, quod instructum Tua cura Museum, memorandis Lubecensibus omnino accensendum, luculentissime demonstrat. Vbi istud vehementer praedicandum, quod laudabile hoc *μνηστέριον* nihil *ἐργον* Tuo detraxerit, si quidem illi horas tantum subsecivas impendisti, huic maximum temporis spatium transmittendum esse, nunquam non sapienter putasti. Efferat se itaque Cantuaria IOANNE BATTELY, qui licet fuerit antiquitatum, cimeliorumque rariorum scrutator atque collector diligentissimus, ob munia tamen sacra rite simul administrata collaudatur ab eo, qui operi ipsius posthumo, *Antiquitatibus Rutupinis* (27), praefatus, sic inter alia scripsit:

Harum

Harum rerum studio animum suum oblectari quidem, sed non ab opere magis serio avocari passus est *Theologus*, vt erat certe, consummatissimus, & *Concionator* creber, ardens, facundus. Ita nempe huiusmodi disquisitionibus vacavit, vt interim sancta, quae in se susceperat, officia nulla ex parte negligeret; vt neque Muneri *Archidiaconali*, quod prudentissime administravit, neque gregi suo, cui assidue invigilavit diligentissimus *Pastor*, vsquam deesset. Te eadem ob causas gloriari potest Lubeca, & cum BATELYO facile comparandum toties sistere, quoties MELLIVM producit. Hunc laeta videt ea beatum prosperitate, quam complectitur MOSIS votum, quo IACOBI filius, ASSER, fuit impertitus (28): כִּימֵךְ דְּכִנְיֶךָ. Quae verba five reddantur Graeca LXX Virorum interpretatione: *ὅς αἰ ἡμέρας σου, ἡ ἰζὺς σου*; five Lutherana; *Dein Alter sey, wie deine Jugend*; five Schmidiana: *Sicut dies tui, fama tua*, in Te, VIR CELEBRIME, quadrant. Vteris enim divino favore vegeta & robore non destituta senectute. Fama tua est sicut dies tui. Hi sunt multi. Illa est magna. Dies vero Tui vt porro multiplicentur, & omnem, quae excogitari modo potest, incolumitatem habeant comitem, Tuaque fama, magna licet, crescat, maneat, conservetur, candida exopto. Venit in voti huius societatem honoratissima Tua Familia, quae hoc potissimum die gaudet, & valde gaudet, quod Te, Patrem, Avum, Proavum, Socerum, conspiciat superstitem, & ob spartam sanctam, per quinquaginta annos ornatam, iubilantem. Imo vero venit ipsa Lubeca, quae vti optimis Filiis suis Te accenset, ita singulari etiam fortuna Tua non parum laetatur. Omnes mecum optant, vt res Tuas porro secundet, & semper Te exhilaret, qui omnia, quae salutaria ac vere bona sunt, continet, THESAURVS IACOBI.

Scr. Lubecae, d. X. April. A. M DCC XXXIV.

(28) Deut. XXXIII. 25.



M  
Fol 1297

ULB Halle  
003 006 867


3




f

SB







Q. D. B. V.

De

# THESAVRO IACOBI

Ier. X. 16. LI. 19.

DISSERTATIO EPISTOLICA,

QVA

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, PRAECLARIS-  
SIMO CELEBERRIMOQVE,

DOMINO

## M. IACOBO A MELLE,

VEN. ORDINIS SACRI LVBECENSIS SENIORI  
GRAVISSIMO ET PASTORI MARIANO LONGE  
MERITISSIMO,

### DIMIDIUM SAECVLVM

IN SACRO MINISTERIO

A D. X. APRIL. A. MDCLXXXIV. AD D. X. APRIL.  
A. MDCCXXXIV.

QVAM RARO EXEMPLO, TAM LAVDABILITER,  
EXACTVM

CANDIDA MENTE GRATVLATVR

IO. HENR. A SEELEN,

SS. TH. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

---

LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR,